

speciali mentione opus habent: sic enim dispensatus ad ordines vel ad dignitates, non censetur dispensatus ad ordines majores, sed minores; nec ad episcopatum, sed inferiorem dignitatem; et filiusfamilias, cui concessum est donare, non potest donare mortis causa (*pr. Inst. de donation.*): sæpe enim ex materia subjecta genus restringitur ad speciem certam.

XXXV. «Plus semper in se continet, quod est minus:»—ex reg. 110. ff.: in eo, quod plus sit, semper inest et minus. Valet in quantitativibus, quia major includit minorem, *c. 41. si quis dederit 24. q. 1*, ubi ex numero decem, septem et quinque, approbatur penitentia quinque annorum, quia quinarius inest denario et septenario. Idem servatur in sententia arbitratorum (*c. 1. de arbitr. in 6.*) Fallit reg. ista in generalibus, quæ non semper continent omnes species, ut in reg. superiori dictum, (*c. 16. in, de præbend.*): item in qualitativibus disparatis: sic enim ex eo quod sis bonus jurista, non sequitur te esse bonum rhetorem: item in mandatis, ubi forma diligenter observari debet, ne plus aut minus fiat.

XXXVI. «Pro possessore habetur, qui dolo desiit possidere:»—ex reg. 131. ff.: qui dolo desierit possidere, pro possidente damnatur, quia pro possessione dolus est; seu quia dolus rem ipsam repræsentat, ac si hic et nunc possideretur. Idem habetur in *reg. 150 et 157. §. 1. ff.*; atque ita jus fingit aliquem possidere, qui non possidet, v. g. Titius Cajo abstulit vestem, et ne forsàn cogere eam restituere, vendidit illam cuidam peregrino: in hoc casu Cajo contra Titium agere potest actione ad exhibendum, et reivindicatione, ac si Titius vestem possideret, cum dolus sit loco vestis. In effectu autem, si res ipsa restitui nequeat, actio ista est condictio ad æstimationem, ut Titius tantum præstet, quantum vestis æstimatur. Exempla habes *§. 2. Inst. quibus alien. l. 22. l. 7. §. 3. ff. de R. V., c. 3. ut lit. pendente etc.*

XXXVII. «Utile non debet per inutile vitari:»—ex reg. 94. ff.: non solent, quæ abundant, vitare scripturas; quia cautela abundans non nocet. Procedit in his, quæ divisionem, descriptionem et separationem admittunt. Sic rescriptum, testamentum aut legatum valere potest in uno capitulo, et non in altero separato (*Auth. ex causa, C. de liber. præter. l. 16. §. 1. ff. de legat. 1.*) Sic etiam *cap. 19. de præbend.* approbatur sententia in uno, et reprobatur in altero. Item donatio, fidejussio, promissio dotis, valet quoad summam legitimam; corrumpit verò quoad excessum. Fallit reg. ista, si utile et inutile sint contraria, inseparabilia, et vitium in re contineant, seu substantialem errorem (*l. 1. §. Trebatius ff. de aqua quotid., l. 34. pr. ff. de legat. 1. et l. 1. §. sed si mihi ff. V. O. etc.*)

XXXVIII. «Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus extitit oppugnare:»—Impugnasti testamentum, non capies ex eo legatum (*l. 8. §. 14. ff. de inoff. test.*)—Excipe, nisi quis ex officio suo teneatur oppugnare: tunc enim ut privata persona fructum capere potest ex re oppugnata (*l. 17. ff. de judic. l. fin. ff. de postul., l. 26. C. de administr. tutor., c. 2. §. item si contra patrem 3. q. 7. etc.*)

XXXIX. «Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo.»—Sic in quadragesima, prohibito esu carniarum, prohibentur ova et lacticinia, quæ trahunt originem sementinam ex carne (*c. 6. d. 4.*), et privatus officio, privatur etiam beneficio, quod datur propter officium (*c. 18. d. 81.*); et prohibito dominio religiosis, prohibetur quoque donatio, commutatio, venditio rerum ad usum concessarum etc.—Excipe ea, quæ fieri prohibentur, sed facta tenent, effectusque ex illis sequentes sunt boni: sic enim contrahens cum altera de præsentia, licet utitur matrimonio, non obstantibus prioribus sponsalibus de futuro. Hæc regula ampliatur ad antecedentia: *Aliquo prohibito, omne id prohibetur, per quod pervenitur ad illud.* Gloss.; quia cessante fine, cessant media ad illud. Unde cui prohibetur matrimonium vel ordo, etiam ei prohibentur sponsalia vel prima tonsura.

XL. «Pluralis locutio duorum numero est contenta:»—puta si determinatus numerus non exprimitur. Sic dualitas sufficit, dum dicitur missam fieri coram pluribus, de pluribus martyribus, testimonium esse plurium, libertatem concedi post annos etc. (*c. hoc quoque 6. de consecr. d. 1., et c. 4. §. ubi numerus 4. q. 3. l. 12. ff. de testib., l. 17. §. fin. ff. manumiss. vindict.*) In odiosis et ambitiosis numerus pluralis restringendus est ad duo, v. g. si quis dispensetur ad plures præbendas vel dignitates, censetur tantum ad duas dispensatus (*c. 19. v. si verò de præb. in 6.*) Aliquando numero plurali venit singularis; *pr. Inst. de vi honor. rapt. ibi: Etiam si quis unam rem, licet minimam, raperit:* item in pronominebus *nos vos* etc. sicut Papa et principes his utuntur in plurali. Econtrà numero singulari venit quandoque pluralis, ut filio meo tutorem do, hoc est, omnibus filiis (*l. 16. §. 1. ff. de testam. tutel.*)

DECAS V.

273. XLI. «Imputari non debet ei per quem non stat, si non faciat, quod per eum faciendum erat.»—Reg. procedit de imputatione ad penam, vel amissionem juris proprii, ut si per te non stet, quod intra annum appellationem non prosequaris, non solvas intra terminum, quia creditor non comparet etc.; *c. 23. anteriorum 2. q. 6. et c. 35. de elect. in 6.*, ibi: *annus autem*, quia impedito tempus non currit. Fallit reg. ista in lucris et favoribus conditionatis, si per se pendeant ab eventu conditionis, v. g. qui hodie missam pro defuncto dixerit, aureum accipiet etc.

XLII. «Accessorium naturam sequi congruit principalis:»—ex reg. 129. §. 1. ff.: cum principalis causa non consistit, ne ea quidem, quæ sequuntur, locum habent; et reg. 178.: ubi additur particula restrictiva *plerumque*. Cum principalis causa non consistit, plerumque ne ea quidem, quæ sequuntur, locum habent. Sic ubi non subsistit matrimonium, nec ibi est dos (*c. 3. de donat. int. V. et U.*): item potestas executiva gratiæ factæ non expirat morte concedentis; benè verò gratiæ faciendæ; quia in priori casu potestas est accessoria; in altero verò principalis (*c. 9. de off. deleg. in 6., c. 36. de Præb. in 6.*) Fallit reg.

in his, in quibus ob specialem rationem valet et sustinetur accessorium, licet deficiat principale; ut juramentum super usuris solvendis, vel alienando fundo dotali. Item sustinentur legata, maximè pia, etsi testamentum sit invalidum ex causa præteritionis aut exheredationis (nov. 115. c. 3. in fin. auth. liberi de Episc. audient.)—Vide hic Gloss.

XLIII. «Qui tacet consentire videtur:»—Et XLIV: «Is, qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur:»—ex reg. 142. ff.: qui tacet, non utique fatetur, sed tamen verum est, eum non negare. Ex variis conciliationibus DD. hæc magis placent:—1.º Tacens consentire videtur in meris favorabilibus, quæ nullum onus et gravamen tacenti afferunt; nam quisque præsumitur velle suum bonum.—2.º Tacens non videtur consentire in favorabilibus, quæ onus annexum habent: ut in sponsalibus, nuptiis, contractibus, electionibus, collationibus etc.—3.º Tacens in odiosis et sibi præjudiciosis regulariter non videtur consentire; l. 8. §. 1. ff. de procurator. ibi: *Invitum accipere debemus non eum tantum, qui contradicit, verum eum quoque, qui consensisse non probatur.*—4.º Tacens in odiosis, dum potest et debet contradicere, et non contradicit, habetur pro consentiente et confitente; ut si legitime jussus à iudice non respondeat (c. 2. pr. de confess. in 6., l. 1. §. qui tacuit. ff. de interrog. in jur. fac.): item si Parochus præsens non contradicat alteri Sacerdoti volenti baptizare, assistere matrimonio: tunc enim censetur consentire: uti et Prælati regularis in his, quæ scit et videt, et non contradicit. At si tacens, qui deberet contradicere, facile non potest prohibere et cum effectu contradicere, non censetur consentire, sicut Papa, Episcopi et Prælati regulares multa per patientiam tolerant, ne majora mala sequantur, non tamen censentur consentire. Hoc sensu procedit reg. 50. ff.: *Culpa caret, qui scit, sed prohibere non potest; et reg. 109: Nullum crimen patitur is, qui non prohibet, cum prohibere non potest.*

XLV. «Inspicimus in obscuris, quod est verosimilius, vel quod plerumque fieri consuevit:»—ex reg. 114. ff.: in obscuris inspicitur solet, quod verosimilius est, aut quod plerumque fieri solet. Hæc reg. supplet superiorem reg. 30: *In obscuris minimum est sequendum.* et plerumque procedit de factis, prout communiter fieri solent. Sic votum, matrimonium, sponsalia, delicta præsumuntur animo deliberato facta fuisse, et filius in dubio non censetur ingratus fuisse etc. (c. 3. si quis 33. d. 1., c. 6. de fide instr., auth. non liceat C. de inoff. test.)

XLVI. «Is, qui in jus succedit alterius, eo jure, quo ille, uti debet:»—ex reg. 177. ff.: qui in jus, dominiumve alterius succedit, jure ejus uti debet; et reg. 175. in fin.: non debeo melioris conditionis esse, quam auctor meus, à quo jus in me transit. Regula ista innuit, quod jura activa et passiva ratione rei, contractus, maleficii, voti realis transeant in successorem universalem, et quod potuit vel debuit antecessor, idem possit et debeat successor seu hæres (reg. 59. ff.) At successor singularis succedit plerumque in sola jura realia rei cohærentia, non verò personalia, nisi id aliunde colligatur: sic enim venditor actione per-

sonali obligatur primo emptori, cui rem non tradidit; non tamen secundus emptor, cui res tradita fuit, ita obligatur. Pænæ corporales ex maleficio non transeunt in hæredem; damna verò à defuncto causata reparari debent, præsertim de jure Can. c. fin. de sepult.

XLVII. «Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.»—Regula procedit circa facta contingentia, quæ quis scire non tenetur; ut si percussus clericum non vestitum habitu clericali (c. 4. de sent. excom.) At contra, circa jura et leges, circa notoria et publica, et circa ea, quæ quis scire et indagare tenetur, præsumitur scientia, ubi ignorantia non probatur (Can. fin. d. 16., Can. 108. si quis à simoniacis l. q. 1. et c. 1. de postulat. etc.)

XLVIII. «Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria vel jactura:»—ex reg. 206. ff.: jure naturæ æquum est neminem cum alterius detrimento et injuria fieri locupletiores. Sic pupillus et minor tenentur ex contractu, si locupletiores facti sint (l. 1. ff. de auctor. tut.): indebitum solutum condicatur (tit. ff. de condict. indeb.)—Excipe, nisi jus ex justis causis concedat locupletationem, sicut in usucapionibus.

XLIX. «In pœnis benignior interpretatio facienda est:»—ex reg. 155. §. 2. ff. Sic doctor privatus collegio sine determinatione temporis, non censetur perpetuò privatus (c. 11. de Constit.)

L. «Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem:»—ex reg. 77. ff.: actus legitimi, qui recipiunt diem vel conditionem, velut mancipatio, in totum vitiantur per temporis vel conditionis adjectionem. Regula ista, omissis variis interpretationibus, procedit de illis actibus, quibus ex natura rei, vel ex dispositione juris adversatur conditio aut dies: uti sunt emancipatio, acceptilatio, hæreditatis aditio, servi optio seu electio, in qua legatarius variare non potest, datio tutoris, scilicet per judicem facienda (cit. regul. 77.), quibus tamen actibus tacita conditio non obest, v. g. ut filius sit emancipatus, donec ei placuerit in potestatem redire etc. In jure Can. sunt Sacramenta, baptismus etc., excepto matrimonio, quod conditionem recipit, modò non sit adversa substantiæ matrimonii (c. fin. de condition. appos.): item sacramentalia, ut consecratio Ecclesiæ, calicum etc. Præterea electio, postulatio, collatio beneficii et alii actus, quos Ecclesia vult esse puros et absolutos.

DECAS VI.

274. LI. «Semel Deo dicatum, non est ad usus hominum ulterius transferendum.»—Sic Religiosus, servus Ecclesiæ donatus, calices et alia sacra non sunt ad usus profanos retrahenda, nisi necessitas et pietas aliud suadeat, v. g. ut calices confracti vendantur per redemptionem captivorum, victu pauperum (Can. 70. aurum 12. q. 2.) Sed hæc regula non continentur possessiones Ecclesiæ, quæ ad emptores laicos transire possunt.

LII. «Non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum:»—nam paria sunt non fieri, et fieri sine effectu. Sic matrimonium

prius invalidum non obest secundo etc. Fallit reg. in his, in quibus de jure sufficit sola attentatio opere secuto: sic sacerdos suspensus invalidè absolvens, fit irregularis; matrimonium contrahens excommunicatur (*Clem. un. de consang.*) Similia habes *l. 1. pr. ff. et c. 1. de N. O. N., l. 34. pr. ff. de legat. 1., l. 20. ff. de adimend. legat.* etc.

LIII. «Cui licet, quod est plus, licet utique, quod est minus:»—ex reg. 21. ff.: non debet, cui plus licet, quod minus est, non licere. Regula ista procedit in juribus et potestatibus subordinatis, quarum Superior per se continet inferiorem, non verò in juribus et potestatibus disparatis. Sic sacerdos conficere potest Eucharistiam, quod est plus; non tamen ordinare clericos aut Ecclesias consecrare, quod est minus, Item mulier bona sua alteri donare potest, non tamen fidejuberè pro illo: Scto. Vellejano hæres adire potest totam hæreditatem, non tamen pro parte eam scindere ex *reg. 7. ff.*

LIV. «Qui prior est tempore, potior est jure:»—ex reg. 98. ff.: quoties utriusque causa lucri ratio vertitur, is præferendus est, cujus in lucrum causa tempore præcedit. Valet in pignoribus et aliis contractibus, in data rescriptorum etc. Fallit, si superveniat fortior privilegiatus, ut providendus auctoritate Apostolica in Canonicatu, mulier eum dote respectu pupilli etc.: item in testamentis, legibus, statutis posteriora potiora sunt prioribus (*l. fin. ff. de constitut. princip.*)

LV. «Qui sentit onus, sentire debet commodum:»—et econtrà, ex reg. 10. ff.: secundum naturam est commoda cujusque rei eum sequi. quem sequuntur incommoda. Excipe, nisi quis privilegio eximatur ab onere: sic enim fœmina et pupillus vocantur ad commodum hæreditatis, non tamen onus tutelæ (*tit. Inst. de legit. patron. tutel.*)

LVI. «In re communi potior est conditio prohibentis.»—Valet in re communi pluribus ut singulis: v. g. decem habent agrum communem, in quo novem volunt constituere servitutem Titio; decimus reclamatur contra, ejus conditio utpotè prohibentis, est potior; at si nullum sit præjudicium prohibentis, non curatur ejus prohibitio (*l. 13. §. un. ff. de S. P. U., l. 19. in fin. cod., l. 32. 35. et seq. ff. de damno inf.*)—Vide reg. 29. *Quod omnes tangit.*

LVII. «Contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs, est interpretatio faciendâ:»—ex reg. 172. ff.: in contrahenda venditione ambiguum pactum contra venditorem interpretandum est. Nomine legis venit hic *lex privata* seu conventio contrahentium, quæ in præjudicium proferentis intelligi solet. Sic *c. 8. de probat.* dictum obscurum de minore ætate, sine expressione 25 annorum, retunditur contra proferentem, quia ingressus monasterium non erat minor 14 annis. Plura exempla vide hic in Glossa, quæ dicit regulam istam non procedere de legibus, quia in eis nihil est obscurum vel ambiguum (*c. 2. dist. 4.*): si quid tamen in legibus vel privilegiis obscurum est, id legislator interpretatur (*l. 12. §. 1. C. de LL. et c. 12. de judic.*)

LVIII. «Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum:»—ut si jures patrem occidere, furari etc. (*24. q. 4. per tot.*)

Nam juramentum non potest ad illicitum obligare, ne ut vinculum iniquitatis; ut si juretur de dolo futuro remittendo, quod invitatur ad malum (*reg. 23. v. excepto ff.*) Si mores sint mali tantum civiliter, v. g. ne dos alienetur, ne filia renunciaret hæreditati, juramentum super alienatione vel renuntiatione tali valet (*c. 28. de jurej. c. 2. de pact.*)

LIX. «Dolo facit, qui petit quod restituere oportet eundem:»—ex *reg. 173. §. 3. ff.*: dolo facit, qui petit, quod redditurus est; dummodò restitutio sit certa et faciendâ eidem. Sic usurarius dolo petit usuras, et hæres dolo petit rem; quia ille usuras, iste rem ex persona defuncti statim restituere debet. At maritus petere potest dotem, quam mox uxori vel liberis, soluto matrimonio, restituit etc.

LX. «Non est in mora, qui potest exceptione legitima se tueri:»—ex *reg. 88. ff.*: nulla intelligitur mora ibi fieri, ubi nulla est petitio, *saltè in effectu*; et *reg. 112.*: nihil interest, ipso jure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur. Sic munitus exceptione moratoria, si non solvat præfixo termino, non est in mora, uti nec ille, qui uti potest compensatione (*l. 40. v. sed cum sortis ff. de R. C.*)

DECAS VII.

275. LXI. «Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum:»—(*l. 6. C. de LL.*) Sic minor sine auctoritate tutoris non potest contrahere vel agere: si tamen pro favore suo est contractus, vel sententia, privilegium ei obesse non debet (*l. 14. C. de procurator.*)—Excipe, nisi princeps ad instantiam petentis aliquid concedat, ut sententiam ferre, *remota appellatione*; tunc enim, spectata æquitate, in dispendium petentis retorqueri potest.

LXII. «Nullus ex consilio, dummodò fraudulentum non fuerit, obligatur:»—ex *reg. 47. ff.*: consilii non fraudulentum nulla obligatio est; ceterum si dolus et calliditas intercessit, de dolo actio competit. Nemo enim tenetur consilium alterius sequi. At mandans tanquam causa moralis tenetur actione mandati.

LXIII. «Exceptionem objiciens non videtur de intentione adversarii confiteri:»—nisi aliàs de puncto aliquo confessus fuerit. Unde qui excipit dicendo: *jam solvi*, non confitetur se mutuum pecuniam accepisse; quia solutio potuit esse de facto et per errorem, sed sensus est: *si actor probaverit me mutuum accepisse, ego probabo exceptionem meam, quod solverim.*

LXIV. «Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi:»—ex *l. 5.*, non dubium. (*C. de LL.*) Hæc reg. sanè est intelligenda: 1.º Quæ fiunt contra jus irritans expressè, ipso jure sunt nulla.—2.º Quæ fiunt contra jus prohibens, quod tacitè et virtualiter est irritans, putà dum actui præscribit formam substantialem, sunt pariter ipso jure nulla; quia actus sine forma non subsistit.—3.º Quæ fiunt contra jus purè prohibens, ipso jure valent; et regulariter sunt nulla tantum quoad effectum, quia non sunt firma, sed rescindi aut exceptione elidi possunt: ità explicatur hæc reg. et cit. *l. 5.* Dixi *regulariter*, quia

illa, quæ ex natura sua sunt insolubilia, ut matrimonium, professio religiosa, si illicitè fiant, sunt perpetuò firma, estque locus reg., ex c. 16. de regg. *Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent firmitatem.*

LXV. «In pari delicto vel causa, potior est conditio possidentis:»—ex regg. 128. ff. : in pari causa possessor potior haberi debet; et reg. 126 §. 2. : cùm de lucro duorum quæritur, melior est causa possidentis.—Hoc est speciale privilegium possessionis. In delicto: Titius dedit iudici pecuniam, ut pro se injustam sententiam ferret; vel virgini, ut secum fornicaretur, pecuniam non repetit, quia possidentis est conditio melior (*l. 3. ff. de condict. ob turp.*) Hoc in foro externo: at in foro interno, si juxtà pretium Titii nec sententia pro illo, nec fornicatio virginis secuta est, attento jure naturali, restitutio facienda esset, nisi virgo dilapidasset pecuniam, quia tunc voluntate Titii et consumptione facit suam, neque cum damno suo restituere tenetur; multò minùs fornicari. In causa: minor minori dedit pecuniam mutuatam, et is eam dilapidavit: in hoc casu potior est conditio consumentis, utpotè possidentis, ut restituere non teneatur (*l. 11. ff. de minor.*)—Excipe, nisi jus resistat possidenti, et assistat petitori; ut si religiosi possideant decimas parochiæ; tunc enim possessor probare tenetur titulum proprietatis (*c. 1. de præscript. in 6., c. fin. de restit. spoliat. in 6.*)

LXVI. «Cùm non stat per eum, ad quem pertinet quominùs conditio impleatur, haberi debet perinde, ac si impleta fuisset:»—ex reg. 161. ff. Nam ex parte illius fingitur conditio impleta, v. g. promisisti Bertæ dotem, si Kalendis Maji ad te salutandum veniret, et illo tempore oclusisti domum, ne illa intrare posset; tunc enim perinde est, ac si Berta conditionem istam impleisset.—Vide reg. 41. in 6.

LXVII. «Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit.»—Regula ista procedit in maleficiis: quia sicut non licet, ut nomine tuo seu in tuum commodum usuras excerceas, fureris, litteras Apostolicas falsas, ità neque licet delicta ista et similia facere nomine alieno, seu in alterius commodum. At in delegationibus honestis secùs accidit: quia licèt nomine tuo nequeas, tamen ex delegatione judicare poteris nomine Papæ, Episcopi etc., nisi incapacitas esset in delegato: ut si tibi non sacerdoti committeretur absolutio à peccatis etc.

LXVIII. «Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum.»—Regula ista procedit de actionibus, quæ ex natura delegari et mandari possunt: ut judicare per alium, matrimonium contrahere; non verò de actionibus personaliter exercendis: sic enim non potes per alium jejunare, pœnitentiam agere, missam audire etc. Econtrà interdum potest quis per alium, quod non potest per se ipsum; quia id non decet, vel ratione personæ, vel ratione rei seu causæ. Sic Episcopus, non per se, sed per alium potest, clericos verberare (*c. fin. 5 q. 3.*), iudicium sanguinis exercere (*c. fin. ne clerici, vel monach. in 6.*)

LXIX. «In malis promissis fidem non expedit observari.»—Nam sicut promittere, ità exequi mala, peccatum est. At malè bonà pro-

missa, per se loquendo servari possunt: ut si mendaciter et dolose promisisti nuptias etc.

LXX. «In alternativis debitoris est electio, et sufficit alterum adimpleri:»—ex reg. 110. §. 3. ff.: ubi verba conjuncta non sunt, sufficit alterutrum esse factum. In quibusdam exemplaribus legitur: *electoris est electio*, sed legendum est *debitoris*; Gloss.: v. g. promisi tibi stichum vel equum, ego debitor eligam, et dando unum ex his duobus, implebo meam promissionem. Interdum ex mente disponentis servandus est ordo in alternativis: v. g. centum floreni pro missis dentur Ecclesiæ parochiali: vel, si hæc renuat accipere, dentur monasterio. Item quandoque creditoris est electio, dum verba ad eum diriguntur, v. g. Titius unum ex meis equis sibi accipiat etc. Huic regulæ subservit *l. 53 sæpe ff. V. S. : Sæpe ità comparatum est, ut conjuncta pro disjunctis accipiantur, et disjuncta pro conjunctis, interdum soluta pro separatis.*

DECAS VIII.

276. LXXI. «Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multò magis admittendus:»—ex reg. 156 §. 1. ff.: cui damus actiones, eidem et exceptionem competere multò magis quis dixerit. Nam minùs est exceptio, quàm actio. Sic cui conceditur actio *quod metus causa*, multò magis exceptio metus ei concedenda est.—Excipe, nisi exceptio in diversum quid tendat (*c. 11. de excess. prælat.*)

LXXII. «Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum:»—ex reg. 180. ff.: quod jussu alterius solvitur, pro eo est, quasi ipsi solutum esset; et reg. 169.: is damnum dat, qui jubet dare.—Vide reg. 68.

LXXIII. «Factum legitime retractari non debet, licèt casus postea eveniat, à quo non potuit inchoari:»—ex reg. 85. §. 1. ff., et *l. 140. §. fin. ff. de V. O.*—Valet in actibus perfectis et jam consummatis: ut in matrimonio, episcopatu, monachatu, quibus superveniens impedimentum non nocet.—Fallit in actibus causam successivam habentibus; ut si ex causa debilitatis die veneris dispensetis ad carnes, cessante causa debilitatis, cessat vel suspenditur ista obligatio.

LXXIV. «Quod alicui gratiosè conceditur, trahi non debet aliis in exemplum.»—Vide suprà reg. 15. et 28. 74. 78.

LXXV. «Frustrà sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem à se præstitam servare recusat.»—Nam frangenti fidem fides frangenda est: et frustrà auxilium legis invocat, qui committit in legem (*cap. 14. de usur.*)

LXXVI. «Delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare:»—putà si Prælati delinquant ut privata persona; secùs si delinquant cum capitulo, vel si ipsi subditi graviter delinquant: tunc enim in pœnam delicti, potest Ecclesia privari dignitate (*c. 25. ità nos 25. q. 2.*) Item in iudiciis, maximè ommittendo, prælati nocet Ecclesiæ (*c. 25. placuit 16. q. 3. et toto tit. de præscription.*)

LXXVII. «Rationi congruit, ut succedat in onere, qui substituitur

in honore:»—modò onus sit reale honori annexum; sic enim successor in jure patronatus tenetur Ecclesiam defendere, sicut suus antecessor (c. 31. *filii*. 16. q. 7.); et succedens in prælatura, tenetur solvere debita ratione prælaturæ contracta (cap. 1. *de solutione*.) Secùs si onera erant personalia honori non annexa.

LXXVIII. «In argumentum trahi nequeunt, quæ propter necessitatem aliquando sunt concessa.»—Vide reg. 28. et 74, et in Pandectis reg. 162.: *Quæ propter necessitatem recepta sunt, non debeat in argumentum trahi.*

LXXIX. «Nemo potest plus juris transferre in alium, quàm sibi competere dignoscatur:»—ex reg. 120. ff.: nemo plus commodi hæredi suo relinquit, quàm ipse habuit, ex reg. 160. §. 2.; nam nemo dat, quod non habet (c. 5. *in fin. de Jur. Patr.*)—Valet regula ista quoad ea jura, quæ rem tangunt; non quoad alia aliunde pendencia, v. g. hæres bona fide vendendo rem commodatam defuncto, transfert conditionem usucapiendi in emptorem, quàm ille non habuit (§. 4. *Inst. de usucap.*) Possessor bona fide vendendo fructus, transfert dominium irrevocabile in emptorem, cum ille habuerit revocabile (l. 48. *pr. ff. de A. R. D.* etc.)—Vide Gloss.

LXXX. «In toto partem non est dubium contineri:»—ex reg. 113. ff. in toto, et pars continetur. Sic cui adjudicata est tota domus, deinde actor partem illius petere non potest, l. 7. *per tot. ff. de exception. rei judicat.*, ubi plura exempla invenies tum in corporibus, tum in quantitativibus.

OCTO RESIDUAE REGULAE EX SEXTO.

177. LXXXI. «In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verosimiliter in specie concessurus.»—Hæc regula indicat sub genere commisso nunquam venire illas species, quæ speciali expressione sunt dignæ. Sic sub potestate generali commissa vicario non venit potestas donandi, aut criminalia exercendi (c. 2. et *fin. de offic. vicar. in 6.*); sub potestate absolvendi non venit potestas absolvendi à reservatis (c. 2. *de pœnit. in 6.*); sub generali potestate Legati non venit potestas circa causas fidei (c. 52. *frater*. 16. q. 1. etc.)

LXXXII. «Qui contra jura mercatur, bonam fidem præsumitur non habere:»—ex reg. 199. ff.: non potest dolo carere, qui imperio magistratus, seu legi non paruit. Sic monasterium vel parochus percipiens decimas in aliena parochia, præsumitur id agere mala fide; quia contra jura mercatur. Idem dic de illo, qui investituram recipit ex manu laici, qui dat temporale pro spirituali (c. 14. *si quis*. 16. q. 7.), et qui emit adscriptitium line gleba (l. 7. *C. de agricol. et censit. in 11.*); nam talis, vel scit similia à jure prohiberi, vel non scit: Si scit, agendo contra jura, mala fide agit: si non scit, ignorantia juris parit in eo malam fidem juridicam seu civilem.

LXXXIII. «Bona fides non patitur, ut semel exactum iterum exigatur:»—ex reg. 57. ff., bona fides non patitur, ut bis idem exigatur.

Regula ista procedit maximè in concursu plurium actionum; nam si per unam tuum consecutus es, non debes per alteram idem petere: et si Titius tibi solvit loco Caji, istum molestare non debes.

LXXXIV. «Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.»—Regula ista procedit in iis, quæ alicui simpliciter et in se prohibentur, et consequenter omnes viæ ad illud: v. g. Prælato prohibetur alienatio et donatio sine solemnitatibus canonicis; ergò et pignoriatio, compromissum et alii modi, quibus pervenitur ad alienationem. Item vendidisti ancillam cum pacto, ut fieret libera, si emptor eam prostitueret; quo casu emptor nec per se, nec per cauponem potest eam prostituere; secùs evadet libera (l. *fin. C. si mancip. ita veniet*) At si res ipsa non prohibeatur, sed tantum certus modus, poterit quis alio modo, seu alia via ad illam pervenire. Sic Episcopus, non via electionis, sed postulationis venire potest ad aliam Ecclesiam, et irregularis via dispensationis ad ordines et beneficia etc.

LXXXV. «Contractus ex conventionione legem accipere dignoscuntur:»—ex reg. 23. ff. ibi: Hoc servabitur, quod initio convenit: legem enim contractus dedit. Nomine legis venit hæc *lex privata* seu pactum contractui appositum; quod quidem est præter leges communes, non tamen contra bonos mores, v. g. in deposito juxtà jus com. præstanda est culpa lata: si convenit, ut præstaretur etiam culpa levis aut levissima, id servandum est; quia contractus hanc legem dedit. Sic à contrahentibus lex imponi potest, ut præstetur casus fortuitus, ut venditor in se suscipiat periculum rei venditæ, aut emptor periculum evictionis etc.; lex tamen contra bonos mores apponi nequit, cum invitet aut obliget ad malum, v. g. ut dolus non præstetur, ut ancilla prostituatur etc. (*cit. reg. 23.*)

LXXXVI. «Damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare.»—ex reg. 203. ff.: quod quis ex culpa sua damnum sentit, non intelligitur damnum sentire. Sic clericus sibi imputet, quod negligat beneficium vacans petere (cap. 11. *de præbend. in 6.*) Similiter puella spontè consentiens in sui deflorationem, procurator negligenter agens in judicio, vel tutor in administratione rerum pupillarum, licet damnum incurrant, tamen non intelliguntur damnum sentire.

LXXXVII. «Infamibus portæ non pateant dignitatum:»—ex l. 2. C. de dignitat. in 12. Neque famosus et notatus, et quos scelus aut vitæ turpitudine inquinat, et quos infamia ab honestorum cœtu segregat, dignitatis portæ patebunt. Et quidem, *infamia juris*, quæ à jure vel per sententiam judicis ob crimen famosum introducta est, perpetuò removel à dignitatibus, ut ab officio judicis, advocati, prælati etc., nisi à principe tollatur: at *infamia facti*, quæ ex vita inhonesta oritur, est temporalis, donec mores corrigantur in melius. Exempla infamium copiosa habes *tit. ff. de his, qui not. infam. et tot. C. ex quib. caus. infam. irrog.*, c. 1, et seq. 3. q. 7.

LXXXVIII. «Certum est, quod is committat in legem, qui legis